



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CXCIV. Ad Idem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

*Hartmannus C. de Heldrungen VIII. Mag. Gen. Ord. Teut.
Conradus à Tierberg Senior IX. Mag. Prov. in Prussia.*

Mira & insolita gesta sunt per latrunculos Christianos, scilicet per Martinum de Golin, Conradum dictum Dyvvel, & quendam dictum Stovemel, & Kudare de Sudovvia, & Nakam de Pogesania, & plures alios, quæ nullus posset ad plenum perorare. Iste Martinus cum IV. viris Teutonicis, & XI. Pruthenis quandam villam in terra Sudovviæ expugnavit captis hominib⁹ & occisis. Et cum longè in reditu pervenisset ad talē locum, ubi omni timore postposito sedens in mensa cum Sociis suis refectionem sumeret post laborem, irruerunt repente in eum hostes, & occisis IV. Sociis ejus Teutonicis, alii evaserunt, relictis ibi omnibus, quæ de armis & victualibus habebant. Hoc facto Sudovvitæ gavisi sunt valde : Martinus autem turbatus circuib⁹ vit, & quia omnia arma fuerant eis ablata, ipse secretè dormientibus hostibus successivè furatus fuit eis clypeos, gladios & lanceas, quibus habitis accessit cum suis occulte, & omnes in stratu suo occidit, præter unum, quem Martinus præoccupans iram, qua effugere voluit, interfecit, sicque cum Spolio primo & dætorum infidelium armis & rebus aliis est reversus,

CAP. CXCIV.

Ad Idem.

Idem Martinus & pauci alii iterum intraverunt terræ Sudovviæ quandam villam, & in crepusculo cum aliqui essent in balneo, alii in cœna, reliqui in diversis officiis, invaserunt eos, & occiderunt eos omnes. Martinus autem X. viros in balneo interfecit, sicque equos & pecudes & cætera cum mulieribus & parvulis deduxerunt.

Mm 3

CAP.

